DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXV. FEBRVARII.

M. PETRO LE MERCIER, Doctore Medico, Præſide.

An in Febribus continuis quælibet evacuatio naturæ lege ſuſcepta ſalutaris & critica?

PVTREDINIS natura in caloris proprij & naturalis rei putreſcentis corruptione tota poſita eſt, non in mixti diſſolutione & partium humidarum à ſiccis ſeparatione: illius cauſa princeps calor eſt extraneus, adeò inimicus nativo vt abeunte iſto naturalis humor vnà diffletur ac evaporet, nec iam quicquam adſit quod eum alliciat; remotæ & adjuuantes conſtrictio cutis, vaſorum obſtructio, laxitas pororum & excrementitius humor, hinc quæ putreſcunt primò fiunt humidiora, tandem ſicciora & ad extremum terra & fimus, combuſtis haud abſimilis in quibus fœtor nullus, ex quibus nihil vnquam generari poteſt. Putredini coctio aliquatenus adverſatur, hæc robur indicat caloris inſiti quo res perficitur, illa extranei quo corrumpitur. A putredine duplex indicatio, vt quod putredinis iam factũ eſt ſanes, & quod in generatione adhuc eſt (quod ἀδιαπνευσία facit) ſiſtas. Huius curatio in viventibus & non viventibus eodem perficitur modo & facultate quæ alteret concoquat vtiléque reddat quicquid putreſcentium veluti ſemiputreſcens ſemimalumque eſt; hinc cùm in animalibus ac præſertim in homine humores ſint ad concipiendam putredinem aptiſſimi fit vt accedentibus cauſis putrefacientibus, calor eorum nativus afficiatur tandemque corrumpatur, vnde ijs accenſis repente paulatim ad cor vitio ſynochus putris miſerum corpus exagitat, ab interpolata loco tantum & putredinis foco diſtincta; putrente ſiquidem in habitu corporis & in prima eius regione procul à corde humore, intermittens; in vaſis præſertim maioribus, aſſidua generatur, cuius cauſæ continenti humori vni aut multiplici cum prorsùs putruit non alteratio, ſed evacuatio convenit.

CVM humores venarum ergaſtulis concluſi ſynceri ſeparatique non ſint, ſed confuſi & permixti ſanguine, certè putredo omnes ſimul eodémque tempore non invadit, ſed vnum quempiam & ſolitarium afficit & corrumpit; illum imprimis qui copia peccat aut qualitate, hinc continua febris duplex σύνοχος quæ plethoram & συνεχὴς quæ cacochymiam ſequitur, exacerbationibus & remiſſionibus à propria humoris ſpecie pendentibus diſtincta, quæ triplex eſt, biliosa, pituitoſa, melancholica (rariſſima): aliarum putredo viſceribus aut venis arterijſque majoribus concepta, cor continenter inficit & incendit, à quo in omne corpus vſtulator ignis derivatur; earum ſpecies innumeræ ferè ad exitium humani generis natæ, totidem faciunt morbos quot ſymptomata: his vt ſeſe expediat moleſtiis natura ſagax ac provida, quicquid crudi congeſtum eſt humoris, qui eas meſenterij venas inferciat, per quas chylus in jecur defertur, hunc paulatim ſubigit, immutat, concoquit aut mitigat, quinetiam impuros corruptoſque humores, omnium ferè morborum continentes cauſas, in majoribus vaſis concluſos, aut in cavis viſcerum deliteſcentes, veniſque minoribus coërcitos, priſtinæ reſtituit bonitati, lentos deterget, tenaces liquat, craſſos attenuat, compactos imminuit & variè disjungit, ferocientes, turgentes & quoquoversùm impulſos compeſcit, exuſtos ἀδροτέρως aut blandè leniterque repurgat & alio quovis modo contaminatos, ſenſim ad mediocritatem redactos, ab vtilibus ſecernit, ſecretos per cœcos interdùm arctoſque receſſus expellit, ſæpiùs per tritas vias & idoneas bonis ægri rebus excernit, hinc ſubitæ illæ in morbis ad ſalutem ægrotantis præter ſpem imperitorum mutationes, in quibus ipſa quamvis humorum gravis ſarcinâ aut pernicie proſtrata videatur natura, aut terrificis vrgeat febris ſymptomatis, collectis tamen vndequaque viribus ſuperior, morbique dominatrix evadit.

FEBRIVM aſſiduarum ſalutaris & perfecta criſis (quæ eſt ὀξύῤῥοπος ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγίειαν) fit à calore nativo & partium ſolidarum virtute, die critico ab indice θεωρητῶνve prænunciato ſine periculoſis ſymptomatis & cum ægri tolerantia, vacuato penitus humore noxio, ἐνσήμως & κατὰ λόγον cum inſigni excretione vel abſceſſu, pro morbi ſpecie & ægrotantis natura, ætate, temperie: illius ad futuros morborum eventus prævidendos & imperitæ multitudinis fugiendam calumniam dignitas & neceſſitas ſumma; coctione nuſquam non opportuna perficitur valentiſſimi caloris operâ, qui natura eſt peculiaris quæ ſanat morbos & febres acutas, quarum materies in toto genere venoſo continetur, priùs mitificanda, coquenda & ſecernenda quàm excernenda; continua & vniverſalis, naturæ validam vim & concoquentis caloris denotans imperium, in alvi dejectionibus & vrinis potiſſimùm elucet, ex quibus plura & certiora quàm cæteris omnibus ſalutis aut interitus, coctionis aut cruditatis, celeritatis & tarditatis criſeωn deſumuntur indicia.

SVDORIS & vrinæ materia tenuis eſt humor ac ſeroſus qui κατ' ἴξιν è venis in cutem & veſicam expellitur, non autem ab ea elicitur à cuius excretione vires acquirit natura, libertas accedit meatibus, mitificatur cauſa morbi & febrilis fomitis commoda ſubductione, fidam levationem ægri perſentiſcunt, quam cita criſis & optata ſubſequitur. Namque inter communia morborum ἐπιφαινόμενα, tùm febrium acutarum propria, quæ natura duce convenienter cientur & ſalutis fida ſpe Medicos & ægros conſolantur; iſthæc duo quæ effectricem ſui cauſam agnoſcunt excretionem ſeri eorum qui venis continentur humorum, per totum corpus ita meabilis, vt per has vias anguſtas licet & exiles, ſatis ſupérque ſeſe expediant viſcera, omne ferunt ſanitatis punctum, excißis prorsùs morbi radicibus, ſi modò illa evacuatio vitioſi humoris liberalis ac libera, indicibus ſuis fuerit denunciata, quæ ad ſpeciem criſis & tempus appareant. Hinc qualis eſt ſeri collectio in veſica eorum qui in venis ſunt humorum πρὸς οὔρησιν, talis eiuſdem ſeroſi ichoris in tota compagine πρὸς ἱδρῶτα; ſudore namque ſiſtuntur vrinæ, ſicut vrinæ profluvio ſudor compeſcitur. Econtrà ſudor & vrina ſi effluant ſymptomaticωs, non ſunt moventis naturæ, ſed exprimentis morbi opera & ſolidarum partium exolutarum, aut vi febrilis ardoris ſuſcitantur præ nimia copia pravorum in corpore humorum. Cæterarum excretionum, quę per palatum & nares fiunt è capite vt & ſputi in omnibus doloribus circa pulmonem & coſtas enatis παχέως τε & εὐπτύως per ἀνακάθαρσιν educti, non diſpar ratio, nec fida minus aut critica levatio, quam menſtruis, hæmorrhoïdibus aut hęmorrhagiâ, natura tentat; à qua nonnulli deducti ſunt ad dyſenteriam ſenum propriam, quæ ſi fluant meritò & κατὰ λόγον naturæ, graviſſima quæque mala ſanant & arcent, meabiles ſiquidem reddunt humores, meabile item corpus, ac juveniles naturæ motus; ſic bilis cauſi effectrix craſſior nec ita meabilis mitificata pepaſmo, dum per cutim nacta eſt exitum, icterum edit criticum quo ipſa febris exolvitur.

IN ſpontaneis laſſitudinibus, vt & aliis ferè morbis, quæ in articulos decumbunt fluxiones, per abſceſſus judicantur. In febribus bubones, minores morbo, longi, dolorifici, ſed iſtius doloris fugacis materia derivationem habet perfacilem ad crura totius cacochymię morbificę capacia, quę ἐπώδυνα quidem, ſed ęger ἀκίνδυνος, cętera omnis moleſtię levationem obtinent; in iiſdem febribus humor vigiliarum parens ob feritatem, qui olim benignus erat ſomniferus, ſi exitum ſibi paret per hęmorrhagiam, ea inchoata convertitur in abſceſſum qui ſub auribus criticè aſſurgit. Nec minus ſalutifera ſunt interdum ecthymata cutim fœdantia & albicantia, maximéque in pueris ἐλκύδρια quorum periculo ſępe-ſępiùs defunguntur, abſceſſu purulento ponè aures aſſurgente. Vomitus (inter excretiones criticas numerandus) eorum quę intùs ventriculum malè habent, à propria ipſius concuſſione per os excluſio, vniverſalis eſt aut particularis: Illo ęſtate pręſertim ciendo, vitioſus humor toto corpore vel è viſceribus ac venis ſurſùm per os vomendo rejicitur & febris fugatur, ſicut & dejectione, cui ſiſtendę pręſidio quoque eſſe ſolet; hoc pituitę copia quâ hyeme natat alvus, exhauritur; quinetiam prodeſt elleboriſmo aut alio ſolemni emetico cauſam morbificam fluoris alvi vomendo excludi: vomitu ſiquidem non ſecus ac alvi ſponte oborta perturbatione & aliis excretionibus criticis vniverſum corpus ęqualiter vacuatur, quemadmodum & ſanguinis miſſione quovis modo celebrata, nitent viſcera omnia nutritia, ventriculi, inteſtinorum, meſenterij & hypochondriorum inflammationes ſępè curantur: craſſior bilis horum membranis altiùs impacta, & illius os ſuperius acrimoniâ ſuâ laceſſens, expurgatur; ſive ibi fuerit collecta, ſive ab hepate, liene, venis & toto corpore huc tranſmiſſa; pravi humores, tenues, craſſi & quovis modo inquinati caloris nativi virtute edomiti, detruduntur è venis & pręcordiis priùs ęſtu incandeſcentibus, in ventrem confluentes, nullâ aut perexiguâ virium jacturâ, amplâ & patente viâ, naturę familiari & ſępè tritâ; in quibus evacuationibus ἐπειδὴ μικρὰ τὸ ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον τὸ ἕτερον ἐστὶν ὑπεροχὴ κατὰ τὴν ποιότητα & ποσότητα τῶν κενωμένων ὁμοίως εἶναί μοι δοκεῖ. Cui ſi quid deeſſe videatur facili negotio Medicus & levioribus epicerasticis, facultates fulciet, functiones tuebitur, vnicuique parti ſuam reſtituet temperiem & recidivę metu ſuperſtites morbi reliquias amovebit. ἐν γὰρ τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα & αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα παύειν.

Ergo in Febribus continuis quælibet evacuatio naturæ lege ſuſcepta ſalutaris & critica.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus Marteau.
M. Hyppolitus du Val.
M. Antonius le Moine.
M. Guydo Creſcentius Fagon.
M. Iſaacus Renaudot.
M. Antonius Morand.
M. Simon Boulot.
M. Claudius Tardi.
M. Ioannes Foreſtier.

Proponebat Lutetiæ ROBERTVS RAOVLT Sagienſis. A. R. S. H. M. DC. LXVI.